



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

88. An Vicarius exercere possit actus voluntariæ jurisdictionis sine speciali mandato Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

aut delinquant tanquam privati, ita ut tunc Metropolitanus non sit Judex comperens eorum. Sbroz. l. c. n. 3. & 4. Laym. l. c. hanc addens limitationem: nisi etiam in illiusmodi sit appellatum ad Archiepiscopum. Multo igitur minus in illos ut tales jurisdictionem exercere potest Vicarius Episcopi. Si verò consideretur Vicarius ut persona publica, nempe ut Judex ordinarius in eodem cura Episcopo tribunali jurisdictionem exercens, poterit ratione hujus officii male administrati, commissæque in eo culpæ v. g. ratione injustæ sententiæ latæ, cognita à Metropolitanano causâ ab eodem puniri, v. g. excommunicari. Carol. de Luc. l. c. n. 8. Pirh. cit. n. 66. Laym. cit. n. 8. Sbroz. l. c. n. 6. juxta cit. c. Romana. de off. Vicar. in 6. Quin. & renebitur Episcopus in hoc casu sistere & exhibere suum Vicariû Metropolitanano. Pirh. Laym. locis cit. Causas verò rationabiles, ob quas à Metropolitanano puniri possit juxta dictum c. Romana. de off. Vicar. Vicarius recenteri à Gl. in idem c. item ab Archidia. ibidem in princ. & sine. & à Gemin. n. 6. ait Sbroz. cit. n. 6. & inter alias esse, dum Vicarius impediret causam appellationis delatam ad Archiepiscopum. Si uteretur jurisdictione Episcopi excommunicati. Si non servaret sedis Apostolicæ privilegia. Si sit criminolosus & incorrigibilis. Intelligendo tamen hæc omnia, si Episcopus sit complex & particeps delicti & culpæ sui Vicarii. Si enim ipse particeps delicti & culpæ de ea cognosceret & judicaret,ungeretur officio partis, & Judicis, & sic in propria causa judicaret, utpote cum quo eandem personam representat Vicarius. Pirh. l. cit. Sbroz. l. 2. q. 138. n. 3. De cetero namque si Episcopus ipse extra culpam fuit, jam poterit ipse de negligentia & delicto Vicarii sui in officio suo commissa cognoscere & eum punire. Sbroz. l. 2. q. 138. n. 2. Laym. l. c. citantes Speculator. l. 2. part. 7. tit. de compet. Judic. additione. sequitur videre. n. 3. ubi is, quod de maleficio commisso in officio ab Officiali Episcopi, ut puta in sententia & processu, agendum est coram Episcopo, cujus est Officialis, & non coram Archiepiscopo vel ejus Officiali. Item Payin. de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 22. Bertach. de Episc. f. 4. p. 5. n. 19. & plures alii apud Sbroz. l. c. Quin & Archiepiscopus se in hoc casu immiscere non poterit, nisi Episcopus requisitus cognoscere recuset. Laym. l. c. Sbroz. l. c. n. 5. ubi: quod si Episcopus requisitus nolle causam cognoscere, Vicarius coram Metropolitanano vel ejus Vicario conveniri poterit: rationem hujus subdens, nempe quod Vicarius etiam ratione officii sui quodam modo subiectus & subordinatus sit Episcopo suo, & licet ejus jurisdictione & potestas eadem sit cum jurisdictione Episcopi, alio tamen modo in Vicario resideat, & aliter in Episcopo; in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi, qui potest inde invigilare debet Vicario, & quæ male ab eo acta rescindere. Neque enim culpa Officialis aut Vicarii domino nocere debet, ut ait Rebuff. in pr. tit. de Vicar. n. 41. & in de form. Vicar. n. 140. Neque hac ratione, etsi Episcopus habeat idem tribunal, sitque eadem cum Vicario suo persona, dicitur agere in causa propria, cum factum Vicarii, dum is male egit, non dicatur factum ab Episcopo, nec is illi actui stare teneatur. Sbroz. l. c. n. 4. citans Gemin. conf. 114. Castrenf. consil. 348. col. 2. vol. 1. Decium in c. sane il. 2. col. 2. de offic. delegat. ubi is dicat, quod tunc Vicarius non gerat vices Episcopi. Abb. in c. eam re, de rescript. n. 12. & 13. & plures alios. Unde jam illud conficitur, Vicarios suffraganeorum in tantum sive quod ad dictas penas subiectos esse suis Metropolitanis, & quidem quasi per accidens, nimirum in defectu Episcopi proprii

negligentis cognoscere & punire illas culpas Vicarii. Et ulterius illud deducitur, quod si Vicarii hi in dictis casibus subiecti sint Metropolitanis, non minus subiectos fore Vicariis generalibus Metropolitanorum, utpote qui eandem cum Metropolitanis suis exercent jurisdictionem.

Questio 87. In quo loco Vicarius exercere possit suam jurisdictionem?

1. **R**espondeo primò: Vicarius generalis Episcopi, quamvis tribunal plerumque in civitate Ecclesiæ Cathedralis situm sit. Pirh. l. c. n. 64. citans Navar. l. 1. conf. 2. n. 5. de offic. Judic. ordinar. Laym. in c. cum contingat, de foro compet. potest tamen ex causa rationabili in quovis loco diocesis honesto & idoneo judicium exercere, ut si in comitatu Episcopi vel solus extra locum tribunalis sui versetur in aliis partibus diocesis, vel ob aliam causam commodum sit ibi causam controversiam decidi. Pirh. l. cit. Barbof. de offic. Episc. alleg. 80. n. 6. Vicarius siquidem generalis jurisdictionem Episcopalem exercens Episcopus autem in quovis loco non exempto jurisdictionem exercere potest juxta c. cum Episcopus. 7. de offic. Judic. ordinar. in 6. ergo & ejus Vicarius, modo caveatur, ne partes litigantes ad locum nimis remotum extra proprium Episcopi consistorium trahantur, alioquin petere possunt, ut in loco ipsis propinquiore judicium instituitur, & si id negetur, appellare. Ita ferè Pirh. citato Barbof. ubi ante n. 5.

2. Respondeo secundò: jurisdictionem voluntariam Vicarius exercere potest etiam extra diocesim. Sbroz. l. 2. q. 65. n. 4. citans l. 2. & ibi Bald. de offic. procons. Jason in l. final. n. 7. ff. de jurisdic. omn. Judic. Menoch. de arbit. Judic. l. 1. q. 43. n. 16. & seq.

Questio 88. Num Vicarius exercere possit actus voluntaria jurisdictionis sine speciali mandato Episcopi?

Respondent negativè Roman. singul. 700. Ferrand. in Apostil. ad Abb. in repet. c. si quis contra, de foro compet. n. 35. apud Sbroz. l. 2. q. 65. n. 1. & 2. qui tamen ipse n. 3. sentit contrarium. Melius distinguitur, ita ut affirmetur de actibus jurisdictionis voluntariæ, qui non sapiunt gratiam; negetur verò de actibus voluntariæ jurisdictionis sapientibus meram gratiam. Fagn. in c. non amplius, de instit. n. 76. ubi: quæ sunt voluntariæ jurisdictionis & sapiunt gratiam, regulariter non censentur translata in Vicarium generalem, sed tantum ea quæ sunt contentiosa jurisdictionis & sapiunt Justitiam. Item Garc. de benef. p. 5. c. 8. n. 63. ubi: quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, non tamen sapiunt gratiam; actus enim voluntariæ jurisdictionis, qui non sunt mere gratiæ, rectè possunt exerceri à Vicario absque speciali mandato, ut tenent Dominic. in c. final. de off. Vicar. in 6. Bald. in margarit. v. Vicarius. Felin. in c. ex parte, de constit. n. 1. & alii apud eundem Garc.

Questio 89. Num Vicarius Episcopo excommunicato, suspenso vel interdicto exercere possit jurisdictionem?

1. **R**espondeo primò: Remissive ad dicenda inferius, ubi de potestate Vicarii delegandi, & num eo excommunicato substitutus ab eo exercere possit jurisdictionem: item qualiter extinguatur jurisdictione Vicarii Episcopo excommunicato. Quæ vide, & cum hic dicendis combina.

2. Respondeo secundò: Directè ad questionem negativè. Eo ipso enim, quo suspenso, & impedito est jurisdictione Episcopi, suspenso quoque est jurisdictione Vicarii, & acta à Vicario durante illa excommunicatione & suspensione Episcopi, pertinentia ad jurisdictionem